

neglecta fuerunt vel typhotetarum incuriâ corrupta, institimus. Ab ea tamen Chronologia Historiæ Eccl. N. T. Cel. Suiceri omninò recedit; Is namque, ut in *Præf. Editionis* laudatæ ipse auctor est, *Scripta Historica* Cel. Heideggeri Theolog. Tigurini, & Cel. Hofmanni, Historici Basil. cum consulere constituisset, Eorum etiam chronologicas præcipuè rationes adhibere voluit. Princeps autem laboris nostri caput constituit Continuatio Historiæ ad hunc qui labitur, annum 1707. quam hisce [] uncinulis, ne vilia nostra cum Auctorum pretiosis commiscere voluisse videremur, conclusimus; Reperies eam B. L. diversis partibus annexam; & in Compendio quidem Sacro Minore & Majore variis in locis integrum ferme seculum erat attexendum; in Historia Profana nonnulli Imperatores; & in Chronologia Cel. Suiceri 16. nonnisi anni. At inquires vilem laciniam purpuræ Virorum toto Orbe Celeberrimorum assuere me fuisse aggressum; id quidem inficias non eo, etenim & rerum pondus & styli elegantia sua vitasque me scribentem destituunt; interim benignum Te, B. L. judicem mihi confido efficient tum Typo-